

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXI. De Sirmio

urn:nbn:de:bsz:31-102564

tusque videt, quem voluit, successorem, et in munimento stirpis tuto insistit, filiumque regiae dignitatis socium, atque in spem Imperii genitum, complectitur, ac suam regniqve publicam salutem peropportune defendit et tuetur. Qui pium iustumque bellum gerit, et urget ac premit barbaros, dominandi cupiditate excitos, atque antea ambitione et audacia tumidos, nunc rebus adversis trepidos, acceptisque tot cladibus deiectos, et viribus attritis confusos, atque exhausto aerario inopes, ac prolapsa belli disciplina, ignavos et molles, caesisque ducibus idoneis, distractos et difficiles, militiaeque rudes.

XXI. DE SIRMIO.

Inter veteres Pannoniae urbes, clarum et illustre fuit Sirmium, loco peramoeno et fertili situm, quod Bacuntius fl. alluit, qui postea in Savum exit, et *Bozuviba* vulgo appellatur. Plinius *H. N. lib. III. c. 26.* Alter amnis Bacuntius (alter Colapis iam ab eo memoratus erat) in Saum Sirmio oppido influit, ubi civitas Sirmiensium. Saus Straboni Σάος, *Geograph. l. IV.* et Σάος *lib. VII.* si tamen posterior lectio vera est, quam retinuit Casaubonus. Cum priori facit Arrianus, qui Pannoniam obiit, fluviumque hunc oculis aspexit. In libro *rerum Indicarum.* Ptolomaeo Σάος, item Σάσιος, et Σάσιος, *Geograph. l. II. c. 14.* Mendosa enim lectio videtur Σαγαγίας. Nicetae Choniatae Σάσιος, *Annal. Manuel. l. II.* Latinis Plinio Saus, *c. l.* Julio Solino Savus, *Polybist. cap. XXIV.* Aethico Suznus in *Cosmographia p. 19.* Quo libro usus est V. C. Rod. Snellius. Cum Ptolomaeo Saum scripsit Iornandes de *Get. c. LVI.* Solini scripturam Poeta Claudianus, et seqviores cum recentioribus sequuntur.

§. II. Omnes consentiunt, in Pannonia quaerendum esse Sirmium, quippe quod in Pannoniae inferioris fines Ptolomaeus descripsit; cuius portio fuit Pannonia Savia, tractus inter Savum et Danubium interiectus, auctore Procopio *Syavia* appellatus. *Zyavia Gothicorum I.* Iornandes Sveviam nominat, *de rebus Geticis cap. LIII. edit. Grotianae.* Quae a Svevia Alemanorum diversa est, apud Paulum *Varnefridum lib. II. cap. 15. de gestis Langobard.* Ab aliis cognominata est Ripensis, sive Ripariensis, in *notitia Imperii Occidentalis.* Ab aliis quoque Sirmiensis, apud *Cassiodorum Var. lib. III. epist. 32.* Nicetas paulo ante memoratus totum hunc tractum, qui inter Danubium et Savum patet, novo, et priscis ignoto vocabulo *Francocchorium* ap-

pellare coepit, libro II. *annal. Manuel. Comneni.* ἔστι τὸδε τμήμα τῆς Οὐγγρίας ἐπὶ ἐλάχιστον (scil. τὸ Φραγγοχώριον, de quo proxime dixerat,) ἀλλ' ἰκανῶς πολυάνθρωπον, μεταξύ Ἰστρου καὶ Σαβῆ τῶν ποταμῶν ἀναπεπταμένον. h. e. Illud (Francochorium) non minima Hungariae pars est, sed hominibus frequens, inter Istrum et Savum extensa. In editione Vignoniana, quae 1593. adornata est, mendum extat, quum *φραγγοχώριον* scribitur pro *Φραγγοχωρίω*. Sane quos Latini Francos, eos Graeco-Romani, vel Graeculi icriptores *Φράγγυς* seu *Φράγγυς* dixerunt.

§. III. Quae in Pannonia horreum Romani habuerunt, Sirmiumque more suo cultum, et habitatione frequens reddiderunt. Praeter situs opportunitatem, necessitas adduxit Octavium Augustum, ut arma in Pannoniam ferret, tractumque Sirmiensem, arcendi, et invadendi hostis causa, redigeret in potestatem. *Tranquillus in Augusto cap. XXI, Florus epit. hist. Rom. lib. IV. c. 12.* Vtrisque lucem affert Rufus Festus, dum scribit. *Baebone Pannoniorum rege subactō, in ditionem nostram Pannoniae (prima et secunda) venerunt. Amantinis inter Savum et Dravum prostratis, regio Svaviensis, ac secundorum loca Pannoniorum obtenta sunt.* Hic regio Svaviensis est Pannoniae Savia, eademque pars Pannoniae secundae, five ut Ptolomaeus loquitur, Πανονίας τῆς κάτω, seu inferioris. Cum Ruffo iungatur Iornandes, ex quo intelligitur, diversos in Pannonia fuisse Reges, Saviamque rationibus Geographicis Pannoniae secundae attributam, sed non eodem regno comprehensam, *in libro de regnorum successione p. 39. editionis Lindenbrogianae.* Hic belli horreum in Dacos constituit Augustus, et *Paeonum* (ita Pannonēs vocat) regionem iuxta Savum et Istrum (Danubium) subegit. Cuius rei testis est Appianus, *in libro de bellis Illyricis*, quem scripsit, retulitque ad illud tempus, quo nondum Augustus Romae obtinuit unius Imperium, quo parto, demum Pannonias in provinciam redegit.

§. IV. Revertor ad Sirmii Urbem, quae imperante Augusto, ad gentis Pannonicae laudem insignis, servato per aliquot secula splendore, omnibus Pannoniae urbibus oppidisque praestitit, ac praecepit laudem. Delictis enim Segestica et Siscia, quae urbes propinquae erant, ex periculo evasit Sirmium, et stetit in fide ac floruit, haud dubie autem e ruinis finitimarum urbium crevit, nec modo Romanis ad receptum et hyberna profuit, sed Imperatoribus quoque domicilium praebuit, quotiescunque in Pannonia, et extrema Imperii ora versus Danubium commorabantur. Herodianus maximam Pannoniae urbem celebrat, autorque est, Maximinum Imperator cum instante hyeme, rediisset in Pannoniam, hyemandi causa Sirmium concessisse. *Εν τῷ Σερμίου διατρίβων τῇ μεγίστῃ ἐκείνῃ πόλει δοκήσῃ. Hist. VII. 2.* Suffragatur Capitolinus, et Herodiani auctoritate nixus testatur, Maximimum

num venisse Sirmium, ut exinde in hostes duceret, Sarmatisque bellum inferret. *In Maximinis duobus cap. XIII.*

§. V. Probus pace Sirmium fovit, vineasque ibi instituit, maxime qua montem Almus spectat, in quo prima huius cultus initia coeperunt. Eutropius scribit. *Vineas Gallos et Pannonios habere permisit. Opere militari Almus montem apud Sirmium, et Aureum apud Moesiam superiorem vineis censuit, et provincialibus colendas dedit. Lib. IX. cap. 2. in Probo.* Ex Eutropio sua descripsit Aurelius Victor, excepto quod hunc montem, vitibus consitum, *Almam* nominavit. *In epitome editionis A. Schotti n. 52.* Ager hic late patet, et laetas fruges fert, omniaque ad victum et cultum corporis pertinentia copiose praebet, situque amoeno, et ad prospectum iucundo oculos et animum delectat.

§. VI Turbato post bellis civilibus Imperio, urbem et agrum infestavit Licinius, quem Constantinus cum exercitu adveniens, in Thraciam profugere coegit, et Sirmium Pannoniamque armis, et secuta pace, sibi vindicavit. *Zosimus hist. lib. 2. cap. 18, 19, 20.* Vbi in novissima editione Cizensi *cit. cap. 18.* duo menda sunt, quum *παιωνίας* pro *παιονίας*, item *Σίγμιον* pro *Σίγμιον*, scriptum reperitur, quod alibi tamen recte expressum legitur. Auctoritate Evagrii quidam *Σίγμιον* legi existimant, sed si bonos emendatosque codices inspiciant, delusos se intelligent, et *Σίγμιον* fide optimorum codicum tuebuntur. Locus extat *lib. 5. cap. 12.* Neque aliter edidit Henricus Valesius, vir harum peritissimus literarum. Hinc castigandus est Abraamus Ortelius, mendosa *Io. Christophorsoni* editione deceptus, in *thesauro Geographico b. V.* Illud per se constat, Sirmium, non Syrmium scribi, contra quam vulgo scribitur a Genebrardo, Bonfinio, et auctore novae editionis Eutropii *lib. 9. cap. 11.* Tanto magis de Salmasio miror, in *not. ad Capitolinum, non tantum Hackianae, sed etiam Parisinae editionis.* Tum vero a Zosimo, qui Sirmii situm, et bellum utrinque gestum describit, lucem accipiunt *Eutropius lib. X. c. 4. Victor. n. 59.*

§. VII. In hac urbe, priusquam a barbaris capta est, multa et ardua imperii negotia confecta sunt, quoniam Imperatores suam regiam, et Praefecti limitis Illyrici sedem ibi habuerunt. Quae haud dubie causa fuit, quod Flavius Vopiscus Sirmium ad numerum Illyrici Urbium ascripsit, *in Probo cap. XIX.* Errant, qui indices historiae Augustae conficiunt, dum Sirmium Illyrici, quod Vopiscus commemorat, a Sirmio Pannoniae distinguunt, qui ex Vopisco doceri poterant, Sirmium, quod Vopiscus Illyrico tribuit, propinquum esse monti Almae. Quo argumento facile intelligitur, Sirmium Pannoniae designari, quod scriptor vitae Probi Illyrico (laxius sumto) assignavit.

S. VIII. Minime omnium praeterire debeo, quod plerique Imperatores ortu Sirmienses fuerint, magnamque urbi dignitatem sua nascendi felicitate conciliarint. Aurelianus, qui saepe vicit hostes ac triumphavit, Sirmii procreatus, et virtute sua in Imperii possessione constitutus est, teste huius rei Vopisco, qui sequentia scribit, sic tamen, ut dubitare videatur. *Divus Aurelianus ortus, ut plures loquuntur, Sirmii, familia obscuriore: ut nonnulli, Dacia ripense (extra Pannoniae fines sita) Ego autem legisse memini auctorem, qui eum Moesia (quae ultra Pannoniam iacet) genitum praedicaret, in Aureliano cap. III.* Sed Probo Imperatore prorsus gloriatur Sirmium, eiusque ortum sibi vindicat, quod nunc sine dubitatione tradit idem Vopiscus. *Probus, inquit, oriundus e Pannonia, civitate Sirmiensi, cap. III. in Probo.* Ibidem invidia militum, quos nunquam otiosos esse, passus est, oppressus, tumulum habuit, cum hoc titulo in marmore inciso. HIC. PROBVS. IMPERATOR. ET. VERE. PROBVS. SITVS. EST. VICTOR. OMNIVM. GENTIVM. BARBARAVM. VICTOR. ETIAM. TYRANNORVM. *Apud eundem cap. XXI. Addatur Eutropius. l. IX. c. II. Victor n. 52.* Maximianus quoque Hercules non procul Sirmio natus est, quem plerique Diocletiani fratrem nuncupant, vel solo patriae indicio refellendi. Alter enim ex Pannonia, alter ex Dalmatia oriundus fuit. Hinc Eumenius in Panegyrico *fratrem adscitum* extulit, quem Capitolinus *fratrem imperii*, id est, collegam, nominaturus fuisset, in epistola, quae ab eo servata legi potest *in Clodio Albino cap. VII.* Victoris, quem adduxi, verba, quae huc pertinent, sic habent. *Maximianus cognomento Hercules ortu agresti Pannonioque. Nam etiam nunc haud longe Sirmio, eminent locus palatio ibidem constructo, ubi parentes eius exercebant opera manuarum. n. 56.* Gratianus Imperator, haud agresti, ut Maximianus, sed acerrimo ingenio praeditus, multaque doctrina excultus, Sirmium ortu suo nobilitavit, et Theodosium, magnum illum imperii religionisque vindicem, cum usus posceret, in curarum partem ascivit, et Imperatorem renunciavit apud hanc urbem, in qua maiestas imperii veteris magis, quam alibi, trans Alpes conspecta est, cum virtute et armorum disciplina staret. Victor brevibus multa complexus tradit. *Gratianus genitus Sirmii, n. 72.* Haud obscure hinc elicio, patrem eius Valentinianum Sirmii esse versatum, utpote qui uxorem ibi gravidam habuit, quae expleto ad pariendum tempore, maritum filio auxit. Paulo infra subiicit Victor atque confirmat, summam Imperii apud Sirmium delatam esse ad Theodosium, in quo et filiis eius historiam finit ille scriptor, non admodum elegans quidem, sed contrahendi industria, et scribendi fide praestans. Ab excessu Valentiniani I. qui bellum Qvadis Sarmatisque illaturus, in finitimo Pannoniae Illyrico obiit, regia Sirmii cum foro coeli

rus tacta, non laetum rei Romanae omen tulit. *Apud Zosimum l. IV. c. 18.* Idem hoc de fatali fulminis ictu narrat Ammianus Marcellinus, scriptor prudens et verax. *Apud Sirmium repentino fragore nubium fulmen excussum, palatii et curiae partem incendit et fori. lib. XXX. c. 5.* Eventus posthac omni fidem fecit.

§. IX. Praeter ceteros crebro huc descendit Constantius, et quae belli in utramque partem momenta essent, quid res tempusque postulerent, Sirmii deliberavit, ac hybernorum opportunitate usus, ex ea urbe movit in hostile solum. Non dubito, quin illo commorationis tempore de supplementis legionum, de annona et nervo belli cogitarit, qui hanc unam itineris faciendi causam habuit, ut rempublicam constitueret, hostiumque incurfiones prohiberet. In hanc sententiam scripsit Ammianus Marcellinus, *lib. XVI. cap. II. lib. XIX. cap. II.* *Inter haec ita ambigua Constantium, Sirmii etiam tum hyberna quiete curantem, permovebant nuntii metuendi et graves, indicantes id, quod tunc magnopere formidabat.* Per id tempus Quadi Sermataeque Pannoniam incurfabant, quorum reprimere impetum, atque ulcisci iniurias, magnopere cupiebat. Quibus rebus intentus, hunc deligebat locum, expeditioni idoneum, et hybernis opportunum, ut ex propinquo prospiceret omnia et curaret. Paulo infra *b. lib. Valeriam* nominat, partem nempe Pannoniae inter Dravum et Danubium interiectae, quae ad honorem memoriamque Valeriae, Diocletiani filiae, hoc nomine appellata fuit. Verba adducere supervacuum est, quae legi possunt apud Ammianum Marcellinum, qui plura de Sirmio prodidit *lib. XXI. cap. 9. 10.* Eo quidem tempore, quo Lucillianus comes, allato defectionis Iuliani nuncio, in magno discrimine versatus est, atque in ea urbe ad resistendum se comparavit, sed cum incautius ageret, et Iuliano occurreret, captus et in conspectum Iuliani adductus est, qui festinato itinere, Sirmium contendit, laetoque rerum successu, urbem regiamque Sirmiensem intravit. Ita enim expono verba Ammiani scribentis, *civitatem, ut praesumebat, dedititiam petens, citis passibus incedebat, eumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis, militaris et omnis generis turba cum lumine multo et floribus, votisque faustis, Augustum appellans et Dominum, duxit in regiam.* At quae nam haec Pannoniorum regia, nisi Sirmiensis? Confirmat hoc Zosimus, quum tradit, improvisum hoc inopinatumque accidisse Sirmiensibus, quippe ob celeritatem adventus Iuliani, admiratione ac stupore defixis. Nam Bononiam Pannoniae, de qua paulo ante dixerat, non posse intelligi, multa indicio sunt, ut magnitudo urbis et suburbiorum, inprimisque designatio regiae, qua non Bononia ad Dravum, sed omnino Sirmium florebat. Nihil hic annotavit *V. C. Henricus Valefius*, quem tamen non credo non idem sensisse. Hinc numus Iuliani planissime exponitur, de quo eruditi haecenus coniecturas potius, quam argu-

argumenta protulerunt. Effigies in eo est Iuliani barbam alentis. Nam vel ob hanc causam dictus est *πρόγων*, quod barbam promitteret, atque hoc signo a Constantio se aversum esse indicaret. Themistius non obscure id significasse mihi visus est, quando haec literis mandavit. *Ὁ τὸν πρόγωνα καθειμένον, καὶ τὸ φιλοσοφώτατον τῶν βασιλέων μεταπιέμενον.* In oratione X. p. 221. edit. *Petavianae*. Sapientissimus quis sit, vel sapientiae studiosissimus, nulla hic coniectura opus est. Marcum enim cognomine Philosophum intelligit, cuius vitam et mores, habitumque et instituta ac studia omnia imitari studebat. Atenimvero numus ille, qui literis SIRM. in ima parte incisus, Sirmium sine ulla dubitatione designat, sub Imperii auspiciis Sirmii factus est, quippe ex qua urbe Iulianus movit versus Naifum Daciae mediterraneae urbem, quam diversa scriptione Ammianus *Nacssum* appellavit. De Gratiano Sirmium ingresso, et exinde in castra adversus Alanos profecto legatur Ammianus *lib. xxxi. cap. ii.*

§. X. Illud quoque cum Sirmii laude coniunctum est, quod concilium ibi religionis causa habendum induxit Constantius Imp. ut coetus divini rationibus consulere, et impium turbulentumque Photini errorem, collatis Antistitum sententiis, damnaret. Ipse enim Sirmium venit, et sanando vulnere remedium afferre voluit, convocatis ex Oriente pariter atque ex Occidente praefulis, qui Photinum Sirmii Antistitem dignitate multandum censuerunt. Annus Concilii incidit in A. C. CCCLI. quem argumentato factorum consularium definire licet. *Interim. conf. Socrates H. E. lib. I. c. 29. Sozomenus lib. iv. c. 6. Nicephorus lib. ix. c. 31.* Copiose iuxta atque erudite Dionysius Petavius defixit intenditque animum in Sirmienſe Concilium, quod apparet ex eius animadversionibus in Epiphanium scriptis, in quibus Baronianam anni supputationem castigavit, primamque eius confessionem a reliquis duabus accurate et merito distinxit. In huius rei investigatione elaboravit Io. Georgius Dorschaeus, instituta et edita *collatione ad Concilium Sirmienſe, quam anno M DC L. vulgavit.*

§. XI. Idem, qui Sirmii concilium habuit, illic quoque triumphum egit, et victis altera vice Sarmatis, cum pompa in urbem invectus est, magno hominum concursu et plausu, qui ea in re commune gaudium, et publicam felicitatem versari iudicabant. Quamquam Iulianus desertor de triumphali hac pompa contemptim scripsit, eaque seu risum, seu stomachum legentibus movit, perinde ac si Constantius nulla re gesta, triumphasset, materiamque huius gloriae sibi praeripuisset. Id quod declarat epistola ad Senatum populumque Atheniensem perscripta. Verba Latina subiungam. *Ita contigit, ut cum ego dimicassem, ille solum (ad Qyados et Sarmatas) iter fecisset, et cum Istri accolis pacifice collocatus esset, non ego, sed ille triumpharet.*

Contra asseveravit Constantius, conatos resistere Sarmatas se stravisse, Quadosque Sarmatis auxiliantes attrivisse, in concione ad exercitum habita, quae extat apud *Ammianum lib. xvii. cap. 13.* Ut iactantius hic, quam verius scripserit Iulianus.

§. XI. Quincto post N. C. seculo, Pannonia non idoneis firmata praefidiis, ruentibus e Scythia barbaris patuit, ac senescente Imperii fortuna, saepe dominos suos mutavit. Post Romanos enim Gothi, Gepidae et Hunni Pannoniam invaserunt, agrumque Sirmiensem, alii post alios occuparunt, inter quos Gothi, Romanis tandem non invitis, sedem aliquandiu habuerunt. Testis est Cassiodorus, Theoderico Gothorum Orientalium regi ab epistolis, vir oppido diligens, et pro captu seculi eruditus, qui in epistola ad Colosseum scribit. *Proinde prosperis initiatus auspiciis, ad Sirmiensem Pannoniam, quondam sedem Gothorum proficiscere. lib. III. Var.* Post eos Gepidae, prognati a Vandalis populi advenerunt, Gothisque Sirmio excedere coactis, urbem agrumque in potestatem redegerunt. Ab his receptum, Iustinianus in ditione sua habuit, et urbem quanto conatu potuit, restituta illic praefectura, instauravit. Procopius ex Latina interpretatione scribit. *Gepidae Sirmium, ac Dacias pene omnes invasere, simulatque ea Iustinianus ademerat Gothis, lib. III. Gothicor.* Et ibidem Langobardorum legati ad Iustinianum pronunciarunt. *Gepidae Sirmium habent, Romanos in servitutem abducunt, Daciam suam esse iactitant.* Evagrius auctor est, Gepidas non tenuisse diu Sirmium sed Iustino reddidisse, barbaros autem, quos Hunnos interpretor, posthac urbem Pannoniae principem interceptisse. *Eccles. hist. lib. v. c. 12. Το Σίρμιον ὡς τῶν Γεπιδῶν ἐλάω.* Henricus Valesius in *annotationibus ad b. l.* legit. *ἀλάω.* Non male, quia scriptor iste Hunnos occidentales intelligit, qui Latine Avars dicuntur. Ferri tamen prior lectio potest, quia Hunni sub illud tempus per eminentiam *barbari* forsitan appellari coeperunt, *Ἀβαρῶν* tamen magis proprie et frequentius a Graeco-Romanis cognominati sunt, sigillatim a Nicephoro in *breviario historico* passim, et a Menandro Protectore in *eclogis*, quas e MST. codice primus edidit David Hoefschelius. Fatalis certe isti loco fuit irruptio Hunnorum, qui primi omnium ab extrema Scythia profecti, sub signis auspiciisque Attilae Sirmium vastarunt, Romanisque eripuerunt. *Horum temporum Attilanorum* meminit Iustinianus, in *Constitutione Nov. xi.* Quo in loco praefectura Sirmii, quae ad Illyricum spectabat, in Pannonia, eaque secunda, reponitur, non in Italia, ubi Firmium Piceni reperitur. Igitur librarii culpa admissum est, quod *Firmium* vulgo lectitant, et extruso contra mentem Iustiniani Sirmio, Firmium, quod, auctoritate Strabonis et Ptolomaei, sola Italia sibi vindicat, absurde in Pannonia locatur.

§. XII. Magnum ibi splendidumque fuit sacerdotium, quod diu quidem ante tempora Iustiniani constitutum, tituloque *Dioecesis* celebratum, sed ab eo primum ad *metropolin* Iustinianae primae relatum est, idque assensu suo comprobavit Vigilus, Pontifex Romanus, cuius in lege nova ipse Augustus mentionem fecit. *Novell. CXXXI. cap. 3. Congruit Procopius in libro de aedificiis Iustiniani. Auctor notitiae Imperii Pannoniam Saviam, id est, Sirmiensē, inter sex Illyrici dioeceses retulit, sed de metropoli eius nihil prodidit, quippe quae, cum is scriberet, nondum erat constituta. Addatur Baronius VII. Annal. Eccles. an. 539. Nemo tam imperitus est, ut nesciat, tres fuisse urbes, Iustinianae nomine praeditas, quarum prima quidem in Bulgaria sita, et ex ruinis instaurata a Iustiniano, et metropolis totius Illyrici ac Pannoniae effecta est, de qua legi possunt Procopius, Cedrenus, Zonaras, Nicephorus aliique. Secunda et tertia huc non spectant, et alibi a me expenduntur. Sirmiensis sacerdotii antiquitatem pariter ac dignitatem probant *acta conciliorum Veterum*, nominatim Sardicensis et Aquilegiensis, Ep. qui inter reliquos Antistites subscripserunt. Postremus urbis Episcopus fuit Dumari Paulus, qui in praelio Mohaziano cecidit, a quo tempore omnes Sirmii rationes conturbatae sunt, et oppressa Pannoniae libertate, sacerdotium A. clo Io XXV. a barbaris extinctum, hodie vicum male cultum ostendit. Superiori anno demum ex servitute armis LEOPOLDI AVG. ereptum, pristinam liberamque conditionem sub Pio et mihi Rege suo recepit. De Sirmio ad extremum legantur *VVolfg. Lazius commentar. reip. Rom. lib. XII. c. 3. Thuanus hist. lib. IX. a principio, et communiter rerum Hung. scriptores.**

XXII. RES DANICAE.

Dania, (a) quam tradere antiquitatis causa volo, et pietatis debeo, reges olim ex Cimbris (b) famam ex bello maximam habuit, et virtutis experimento Romanis Germanisque his etiam beneficio cognita, Saxonibus insuper necessitudine ac foederum societate coniuncta fuit.

(a) Cum Daniae res scribere in animo habeo, nomen studebo prius eruere, quod Ioannes Ianus Svaningus ad ultima retro tempora porrigit, ac refert ad A. M. 2910. Convenitque huic cum Saxone Sialandico, et qui hanc sequitur, Iohanni Isacio Pontano, in quantum uterque historiam regum Danicorum a DANO primo huius nominis auspiciatur: cumque eo Ericus Daniae Rex in historica narratione de origine gentis Danorum et Esp. Lindenbruch hist. Dan. Reg. Ego certum habeo,